



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

Probatur ex definitione idea<sup>e</sup> suprā exposita. Idea est forma, quam aliquid imitatur, vel ad quam respiciens artifex operatur: Ergo propria causalitas idea, erit ex passiva sui imitatione, conferre effectui speciem. Unde sicut forma naturalis, ex sua propria ratione, habet rationem causae formalis intrinsecae, inquantum per sui communicationem constitutum totum compositum, & illud determinat ad certam speciem; ita etiam propria causalitas idea, erit formalis, non quidem intrinseca, sed extrinseca: inquantum ut objecta menti artificis, & per passivam sui imitationem, determinat agens ad producendum effectum talis speciei. Licet etiam ex consequenti, & minus principaliter, habeat quodammodo rationem causae efficientis; quatenus artifex opera-

A tur per illam, tanquam per formam intellectualem; & etiam finalis, inquantum bonitas & perfectio exemplaris, per intellectum artificis apprehensa, movere ipsum, ad hoc ut formet artefactum illi simile.

B Hac accipe (studioso Lector) & aquas divinæ sapientiae, quas ex purissimis ac limpidissimis utriusque S. Doctoris, Augustini & Thomæ, fortibus tibi largè in hoc Tractatu propinavimus, paululum degula; donec in sequentibus, celebrieres hujus temporis controversias, quæ tantâ animi contentione agitantur, juxta illorum Sanctorum Doctorum mentem, resolvamus: hos enim gratia suos elegit præcones, seu Christus suæ gratiae fidelissimos interpres, & clarissimas tubas, quarum sonus in omnē terrarū orbem exivit.

C

## TRACTATVS QVARTVS DE VOLVNTATE DEI, ejusque Providentia.

Ad questionem 19. Divi Thomæ, & tres sequentes.

### P R A E F A T I O .

**R**OSE QVIMVR hac Tractatione de Divina Voluntate gravissimas Theologiae difficultates, quibus adhuc Scholæ persistunt, & gravi interdum vulnere charitas luditur, quarum superiori Tomo, & Dissertationibus de scientia Dei, fundamenta jecimus. Præter cetera Scholæ nostræ placita, quibus forsitan ex nostris commentariis nonnihil lucis accedet, D. Augustini & S. Thomas vindicias contra Molinam & Iansenium suscipio, quibuscum nihil nobis commune esse, sed ab utrisque a quo spatio recedere, ita compertum facio, & certis argumentis demonstro, ut plane nihil dubius asseruerim, eos qui Molinae Antesignani vexilla sequuntur, et si ab iis, Iansenius ultima quæque passus fuerit, proprius tamen à Iansenio abesse. Atque ut hic etiam specimen aliquod dem eorum quæ fusi<sup>s</sup> & majori otio infra pertractantur, nemo est nisi rerum Theologicarum rudis, & qui non ultra videat quām habeat oculos, ut cum Tertulliano loquar, qui eas omnes disceptationes quæ fervent, dubitet ab uno principio deduci, quod Schola omnis Thomistarum summa consensione pernegat; ceteris nedum probatur, sed maximum etiam præsidium est, quo se se in tuto positus esse arbitrantur. Hoc unum omnibus principium commune est, Gratiam per se efficacem libertatis indifferentie exitiale esse, nec posse nisi alterius temperamento aut jacturā conciliari. Hinc Molina & Iansenius in diversas & oppositas adeo sententias abierunt, ut illud usurpare possint: Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Alteri enim visum est, gratiae vim extenuandam esse & temperandam, ne libertatem, ut ita dixerim, frangeret, quam pene citream facit, adeo vis omnis impatientem putat. Alteri contra visum est, laxandam & veluti dilatandam libertatem in spontaneitatem, ut vim omnem gratiae, quanta sit, ferat. Verum suis solūm consecutionibus, infinitis penè intervallis separantur, sed eodem principio juncti sunt. Quid vero eorum commune cum Thomistis? plane nihil; & consecutioni-

Tom. I.

AAA iii

bus, & principiis differunt; divine voluntati ac libertati humanae sua jura servant; alteri cum omnem efficacem movendi tribuunt; alteri ultra spontaneitatem quam volunt, indifferentiam & dissentendi potentiam. Sanè ut alia in re D. Augustinus dixit, in contrarium versa est sententia; & qui Thomistis consensionem cum Jansenio objiciunt, agere ipsi, & in ea questione quæ caput omnium est, consortium effugient. Nam quod ad statum innocentiae attinet, tanta omnium consensio est, ut pleno ore, nec cuiusquam injuria dixeris, aut Jansenium Molinistam, aut Molinistas, Jansenianos evasisse. De his nobis fuisse hac de divina voluntate Tractatione agendum est, ubi ab extremis à quibus æquè timendum est, & quæ raro periculo carent, Scholam Thomisticam abesse demonstrabo.

Hic vero ut in cæteris Angelicum Praeceptorem, pressis quantum vires sinunt vestigis sequor: quo duce nihil mibi metuendum existimo; hæc enim Angelicorum mentium singularis dos est, omnis erroris immunes esse. Et si aves discrimen internoscere quo cæteros Angelicus Doctor superat, hoc unum accipe. Alter aliquid sapere quam res se habet, humana tentatio est. In nullo autem aliter sapere quam res se habet, ANGELICA PERFECTIO EST. Augustinus 2. contra Donatistas cap. 5.

Vt vero que in hoc Tractatu de voluntate & præscientia Dei dicturi sumus, cum aliqua methodo & ordine pertractemus, illum in septem disputationes dividemus. Prima erit de existentia & quidditate voluntatis Dei. Secunda de ejus objecto, tam motivo, quam terminativo. Tertia ejus libertatem, quæ præcipua illius dos & prerogativa est, explanabit. Quarta voluntatem Dei antecedentem, quâ vult omnes homines salvari, eisque auxilia ad salutem sufficientia preparat, explicabit. Quinta mirabilem divine voluntatis efficaciam, quâ corda hominum ad quodcumque voluerit, illæsâ eorum libertate moveat, contemplabitur. Sexta varios ejus affectus, nimirum amorem, gaudium, justitiam, & misericordiam, declarabit. His accedit septima & ultima, quæ existentiam & quidditatem Divine Præscientie, & modum quo ei substantia attus liberi, sive boni, sive mali, creature rationalis, exponet.

Sed antequam celebres illas disputationes aggrediar, è re tua & mea esse existimavi (Amice Lector) ut te paucis premonerem, & mirari desineres, si quando de divinis prædefinitionibus, & divine voluntatis efficacia agam, quedam repeatam, quæ superiori Tractatu de scientia Dei, explicata sunt. Nam primum ita res ipsa postulabat, ut pro meritis tractaretur, cum hoc principia habeant, ut veluti res omnes subjectas transcedant; & jejunè admodum questiones pertractarentur, & parum firmitatis haberent, nisi suis principiis niterentur. Nec vero satis esse potuit, ea jam aliis locis præmissa fuisse. Etenim si ab iis tam longe positis lucem duntaxat accipere voluisse, obscuritatem merito incusasse. Tentari ipse aliquando, an possent pro dignitate questiones illæ pertractari, prætermisis principiis superiori Tractatu statutis; atque experimento didici, huius veluti lucis absentia, maximas tenebras offundi. Nec dubito quin ipse ea fuisse prætermissa ager tulisset. Sed demum tuo commodo consulere volui: non potuisse enim non esse molestissimum, si interdum, aut singulis paginis (quod aliquando accidisset) coactus fuisses alia loca consulere, ad ea probe intelligenda quæ præ oculis & manibus habuisses. Si quæ igitur repetita sint (quod vix ipse advertes, cum semper alius explicandi, & versandi modus rem eandem satis distinguat) & ita res ipsa postulabat, & maior inde claritas accessit, & tuo otio consultum est. De his te semel premonitum volui (studiose Lector) ne temere à me factum putas.